

diæ Gallia Lugdunen. ciui. Rothomagus, uulgo Roan 21.30.49.30. Pichardia Belgica Gallia, modo Germania portio. Flandria Belgica Gallia, modo Germania ci. Gandauum, uulgo Gendt, à Ptole. ex coniectura, Taruanna 52.30.51.15. Calas 24.0.51.55. Hannonia Belgica Gallia portio est. Brabantia Belgica Gallia, modo Germania ci. Antuerpia, uulgo Antorff 26.15.51.15. Bruxella, uulgo Brussel 26.15.50.50.

Lotharingia Belgica Gallia, modo Germania ci. Metis, uulgo Metz, à Ptol. Mediomatrices 28.30.49.10. Treueris, Ptole. Augusta Treberorum 29.0.49.45. Vuestria Belgica Gallia, nunc Germania portio. Iuliaci Belgica Gallia, modo Germania ci. Aquisgranū, quæ & Corionallum, uulgo Ache, à Ptole. Vegerra 28.45.50.55. Heluetiorum Belgica Gallia, modo Germania ci. Constantia, Ptole. Ganodurum 31.30.47.30. Turegum uel Tigurinus pagus, uulgo Zurch 31.0.47.0. Alsatia, Belgica Gallia, nunc Germania portio, uino eximio nobilis. Germania superioris, Belgica Gallia ad Rhenum ci. Basilea, à Ptole. ex coniectura, Augustaauricorum 29.45.47.45. Argentina 30.15.48.45. Spira, à Ptole. Neomagus dicta, 31.30.49.15. Vuormatia, iuxta coniecturam, à Pto. Ruffiniana 31.20.49.40. Moguntia, à Pto. Mocontiacum, uulgo Mentz 31.15.50.15. Germania inferioris Belgica Gallia ci. transrhenane, Confluentia 30.15.50.20. Colonia, Ptole. Agrippinenses 29.45.51.0. Campena Frisia, uulgo Campen 28.30.52.50.

### De Germania magna.

#### CAPVT V.

**G**ermania Europæ regio amplissima, tota septentrionalis, à Gallis olim Rheno flumine diuisa fuit, à Rhetis & Pannonibus Danubio, à Sarmatis Dacisque mutuo metu & montibus separata, cætera Oceano ambiente. Hodie extra hos fines, Rhetiam, Vindeliciam, Noricam & superiorem Pannoniam, Alpes, partemque Illiria, & usque ad Tridentina claustra Germania obtinet. Belgarum quoque ferè tota natio Gallici quondam iuris, omnisque Rhenus in Germania nomen, linguamque concessit, ut iam se Gallos dicesciant, si audiant, indignentur. Heluetij quoque in Germania nomen & linguam, labente tempore, transiere. Itaque magnam Galliaë transalpinaë partem ipsa Germania libi uendicauit. Pruthenos, ferocissimam gentem, & idolis deditam intra tricentesimum annum ex infidelium manibus milites Teutonici ui & armis rapuerunt, ubi & lingua Teutonica introducta est, & Christi cultus genti imperatus, unde habita ad primeuos illius terminos consideratione, uidebitur certe illa sibi ferè plus soli extra usurpasse, quam intus prius continebat. In duas partes uelut ab initio tota Germania diuisa fuit, ut quæ Alpibus propinquior est, superior sit Germania appellata, altera ad Septentrionem atque Oceanum uersus, inferior. Durat hæc partitio sub Alemanniæ appellatione (quæ à Lemano, qui & lacus Lozamiæ hodie nominatur, ut aiunt, lacu est) in hunc usque diem, prouincias tam hæc quam illa multas habent, inter quas quatuor duntaxat populorum nomina mansere. Saxonum, Frisonum, Sueuorum, & Marcomanorum, quos Merhern uocant. Germania hodie regio adeo amena est, adeo pulcherrimus nitidissimisque urbibus, castris & pagis passim exornata & exulta, ut nec Italia, non Gallia, non Hispania ipsa cedat, cœlum satis clemens habet, campi fertilitatem optandam. Sunt colles aprici, nemora opaca, frumentorum abundantia, uitifera montes, clarissimi amnes, Rhenus, Danubius, Moganus, Albis, Neccharus, Sala, Odera, & multi alij fluuij limpidissimi, totam terram rigantes. Quid quod præcia rerum non magis extenduntur in Germania, quam alioqui uel in Italia, uel in Hispania regionibus fertilissimis? Sunt Germanis, quod nemo negare queat, ingenia nouis subinde inueniendis disciplinis prompta,